



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

30 De remissione pensionis ob sterilisatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

debitam quantitatem perciperet, nisi tertius ille possessor intra diem præfinitam arbitrio iudicis debitam quantitatem soluisset. Hæc vero definitiua sententia multis rationibus apparet iusta, quas hic repetere omittam, quippe qui eas tradiderim, lib. 3. *Variarum resolutionum*. c. 18. n. 4.

Nec tamen illud est prætermittendum, quod practici frequentissime commemorant, nec alienum est ab intellectu dicitur l. pecunia. cum & quæri possit contractum prioris creditoris in pecunia per debitorem post contractum prioris creditoris adquisita? sed huic quaestioni respondet altera constitutio, quæ vltima est, *Cod. que res pignori obli. possunt*. l. 5. tit. 13. part. 5. hypothecam generalè bonorum alicuius non tantum comprehendere bona illius quæ tunc habet, sed etiam ea, quæ postea habebit: & sic bona futura. Quod obtinet etiam in tacita hypotheca. l. hac editali. §. bis illud. c. de secundis nupt. glo. *Committere* recepta in dict. l. vltima. quam opinionem sequitur Roman. in singul. 146. Matth. de Afflic. decisio. Neapoli. 335. Latissime tractat hanc quaestionem Ripa in l. i. col. 1. & sequentibus. ff. de pignori. qui & hoc apertissime probat: sicut & constitutum, siue precarium habet vim transferendæ possessionis: non solum in bonis presentibus, & iam quaeritis, sed & in futuris quoque & quaerendis. Cuius rei extat exemplum: si quis donet omnia bona presentia, & futura, atque conveniat se possidere pro donatorio. Nam tunc eo casu, quo donatio valida est, ex huiusmodi constituto transferitur possessio bonorum illorum futurorum tunc, cum erit acquisita sicut & nunc presentium: quemadmodum diligentissime disputat Andreas Tiraquellus in tractat. de constituto. ampliatione 30. idcirco Cæsaris constituto in dict. leg. pecunia. etiam erit admittenda quo ad pecuniam quaeritam à debitore post obligationem cum priori creditore contractam.

CAPVT XXX.

Quantam ratione practici vtratur in remittenda colonis, sterilitatis causa, pensione.

SYMMARIA.

- 1 Sterilitas quando dicitur contingere ad effectum remittendi pensionem.
2 Remittitur lex de sterilitate adductur, eiusque intellectus examinatur.
3 Inquinatio alicuius domus, an sit facienda remissio pensionis propter pestem, immineat consiam, cuius ratione vti non potest domo conducta.

Vre Pontificio & Cæsareo constitutum esse pensionem locationis colonis remittendam esse propter sterilitatem absque culpa ipsorum colonorum contingentem ca. propter sterilitatem. de locato. l. licet. C. locati. & in l. si mo. ff. eodem tit. & illi, leg. ex conducto. §. si vis. & l. si merces. §. vis maior. quibus convenit Regia lex 22. tit. 8. partit. 5. ad quarum omnium decisionum aptissime congruentem intellectum dubitatur, quando hæc sterilitas, ut remissio mercedis fiat, dicatur contingere. Quidam etenim opinantur, hoc iuxta vulgi opinionem iudicandum fore, ita quidem, ut licet fructus colligantur prædij conducti, si tamen vulgus iudicauerit communi sententia, & opinio sterilitatem contigisse, fieri debeat remissio mercedis. gl. in d. l. licet. vbi Salicet. asserit hanc opinionem communem esse. idem tradit Alex. in conf. 3. lib. 1. Bar. in d. §. vis maior. idem Bar. in d. l. vno. §. vbiunque rorlus idè Alex. conf. 107. lib. 3. n. 18. sic sane licet hæc probatio non sit omnino tuta & sufficiens, quippe quæ sit incerta: quandoque tamen ab aduocatis exhibetur ad testium examen huiusmodi interrogatio, quæ utilis est, & ad causæ definitionem plurimum conducit.

Aliis placet hoc relinquendum esse arbitrio iudicis ex Baldi opinione in l. i. Cod. si aduers. vend. pignor. quo in loco dum text. mentionem facit de damno graui, Bal. existimat, damnum illud graue censeri, quod Index fuerit arbitratus, atque ideo Barba. in dict. ca. propter sterilitatem. censet arbitrio iudicis relinquendam huius dubitationis definitionem, ut ipse arbitretur, an contigerit ea sterilitas, quæ iuxta iuris vtriusque regulas sit sufficiens ad mercedis remissionem. idem ipse libentissime probauerim, modo illud sit constitutissimum hoc iudicis arbitrium non posse commode, nec in se adhiberi, nisi prius per probationes testium, & his similes ipsi iudici constiterit, quod fructus fuerint ex prædio conducto percepti: ut inde possit arbitrari, an damnum intolerabile colonus passus fuerit, & ideo fieri debeat remissio mercedis: non enim quodcumque damnum sufficit ad mer-

cedis remissionem, sed illud est necessarium, quod sit intolerabile l. si merces. §. vis maior. & c. propter sterilitatem. & licet, de locato. quo fit vt necessaria sit quædam hæc in re probatio damni contingentis, ex qua iudex commode arbitrari valeat sine propter sterilitatem merces remittenda. Hoc igitur arbitrium instrui debet ex his opinionibus, quas iuris vtriusque interpretes hæc de re tradiderunt, & maxime poterit iustificari ex communi vulgi opinione, ut modo commemorauimus, & ideo hoc in loco adscribam alia, quæ video passim recepta hæcenus fuisse.

Est etenim quorundam sententia in hoc sterilitatis tractatu non prætermittenda, ex qua tunc cõstat sterilitas ad remissionem faciendam, cum colonus ipse patitur damnum in tertia parte fructuum, quos ex illo fundo colligere solitus erat. Sic Bart. in d. l. licet. Ioan. Andr. & Panor. in d. c. propter sterilitatem. n. 13. & plerique alij opinantur: quibus minime accedo, quippe qui existimem, hoc damnum non sufficere regulariter, vt pro rata, pensionis remissio fiat.

Quamobrem præcipue ad veritatem accessere qui existimant, sterilitatem ad pensionis remissionem eo casu sufficere quo tanta contigerit calamitas, vt colonus minime collegerit fructus, qui deductis expensis valeant dimidiam pensionis partem: quasi necessaria si deceptio vltra dimidiam habita ratione sterilitate, vt pro rata fiat remissio ipsius pensionis, Ioa. And. Panorm. num. 12. & alij in d. ca. propter sterilitatem. n. 13. & plerique alij opinantur: quibus minime accedo, quippe qui existimem, hoc damnum non sufficere regulariter, vt pro rata, pensionis remissio fiat.

Sed & hæc sterilitas ad remissionem pensionis solet tunc definiri, quoties colonus non colligit dimidiam partem fructuum, qui ex eo prædio colligi solent. gl. in l. si vno in prim. ff. locati. Alexan. in dict. conf. 3. & in dicto conf. 107. num. 15. Ant. & Imo. num. 15. in d. ca. propter sterilitatem. Bald. in dict. l. licet. Paulus Parilius in dicto conf. 38. colum. vlt. quorum opinio satis conducit ad huius controuersie certam, aut saltem iustam decisionem. Nam & eam esse communem asseruerat Caro. Ruynus in conf. 81. & conf. 87. lib. 1.

Bartolus vero in dicta l. si merces. §. vis maior. ff. locati. in ea est sententia, vt opinetur, propter sterilitatem pensionis remissionem faciendam fore, vbi colonus deductis expensis nihil ex prædio conducto percepit. Idem tenet Aret. in d. conf. 52. colum. 2. Paulus Parilius in d. conf. 83. col. vlt. hanc tamen opinionem Panormitanus reprobat in d. c. propter sterilitatem. n. 13. ex eo, quod si esset vera, semper ratione sterilitatis fieret remissio totius pensionis, non autem alicuius partis pro rata damni contingentis: quod falsum est, quia etiam remissio pensionis fieri debet pro rata, seu ratione damni contingentis, quamuis damnum id non acciderit ad omnium fructuum calamitatem, deductis expensis. Idque constat ex d. c. propter sterilitatem.

Verum Regia lex 22. tit. 8. partit. 5. hanc quaestionem aliter diffinit, duo subiciens responsa quæ singularia sunt. Primum etenim tractat de sterilitate illa, quæ tantum induxit colono calamitatem, vt nullo fructus omnino collegerit ex fundo conducto, & quidem nec ad expensas: nam in hoc casu lex aptissime voluit, prorsus esse colono liberum à pensionis solutione: quia nulla est iniquitas in ea liberatione: cum & ipse colonus expensas & semina perdidit: ideoque mirum non est, quod dominus ipsius prædij locari pensionem nequaquam accipiat. Alterum eiusdem legis responsum celeberrimum apud practicos decisionem habet his sane verbis contextam:

Pero si acasiesse, que los frutos no se perdiesen todos, y corriere el labrador alguna partida de ellos: entonces en su escogencia sea, de dar todo el arrendamiento al Señor de la heredad, si se atreuiere a darlo, e si no le sacar para si las despenas, e las misiones que sacen en labrar la heredad de lo que sobrare dello al Señor de aquella cosa, que tenia arrendada. Hactenus Regia constitutio.

Ex qua palam probatur, vere dici ad remissionem pensionis sterilitatem contigisse, etiam eo casu, quo præter impensas aliquot fructus collegerit colonus. Nam & tunc liber erit à pensione tota, si deductis fructibus ad expensas

soluendas necessariis, velit reliquos fructus tradere ipsi domino fundi locati. Vnde huius legis auctoritate, Barto. opinio in d. §. vi maior. refellitur: cum, & si colonus fructus aliquot perceperit ultra expensarum valorem, & estimationem, tamen propter sterilitatem l. Regia liber erit a solutione pensionis, si fructus illos deductis expensis dominio restituerit. Iure autem communi quoties verè contigerit sterilitas & colonus fructus perceperit, etiam ultra expensarum estimationem, remissio pensionis fieri debet pro rata, id est pro ratione illius partis, quae à solita fructuum collectione sterilitatis causa deficit: iuxta tex. in d. ca. propter sterilitatem.

Illud vero est animaduertendum ad Regiae constitutionis intellectum, quod est necessaria sterilitas ad praxim huius secundi responsi, cuius modo mentionem fecimus. Quae ratione obseruandi sunt praescripti modi, quos tradidimus ad probandam sterilitatem, vt ea probata locus sit lectioni, quam praedicta lex Colonos tribuit, vt vel integram pensionem soluatur domino vel deductis expensis fructus perceptos restituat eidem fundi locatori. Vnde si sterilitas non contingerit, huic lectioni locus non erit: imo tenebitur Colonus integram pensionem soluere domino: nec poterit ab eius solutione excusari ex eo, quod velit deducere sibi expensas, & fructus reliquos domino tradere. Hoc etenim satis apparet ex dicta Regia lege, quae calamitatem in fructibus propter sterilitatem requirit: tamen non diffitear, Colonum posse sibi consulere auxilio l. 2. C. de rescind. vend. quod maxime differt adhuc secundum leg. Regiam ab hoc auxilio: quod sterilitatis causa iure canonico & civili Colonos competit.

Hoc ipsum constat ex eo quod subsidiū ex l. 2. deducitur à lectione, quae contingit ab initio contractus in conuentione pensionis, remissio autem sterilitatis causa fit, & fieri debet quoties post conuentionem, etiam iustissime factam calamitas acciderit in ipsius fundi fructibus. Et ideo potest fieri vt locus non sit actioni legis secundae, tamen sterilitatis causa remissio fiat, sicuti & ex contrario absque vlla sterilitate potest ipse Colonus agere ad rescissionem contractus ea ratione, quod in conuentione pensionis fuerit laesus ultra iusti pretij dimidiam: nec refert ad actionem istam, quod contingat sterilitas: cum sit laesio consideranda ex tempore contractus, post quem calamitas in fundi fructibus damnū graue Colonos intulit. Igitur quoties in conuentione Colonos non est laesus ultra dimidiam iusta pensionis, etiam si lectionem patitur: nec post calamitatem contigerit: quia absque vllō casu fortuito fructus ex agro collegit, quos fere solebat ager ille reddere. tunc sane Colonos non poterit sibi consulere actione l. 2. nec electione Regiae constitutionis, quae palam ad eius praxim sterilitatem exigit.

Sed colonus is, qui vt voluerit propter sterilitatem Regiae constitutionis electione, quo res ista tutius, ac iustius fiat, debet ipsum fundi locatorem interpellare, & requirere, vt per se, vel per alium praesens sit, vel assistat mensuram collectioni ad hoc, quod ipso praesente continet, quod fructus Colonos perceperit ex ipso fundo, eosque deductis impensis accipiat. Etenim hoc cautissime fit ad exactam legis Regiae rationem. Quod si Colonos hac vti cautela omiserit, adhuc poterit vti legis Regiae lectione per actionem, vel exceptionem, modo legitime absque vlla fraudis suspitione costare possit data sterilitate, quot fructus ex fundo collegerit, quantasque fecerit impensas.

Vidi tamen non semel in hoc Regio Granatensi pratorio in quaestionibus sterilitatis omnia legis regiae forma cum de sterilitate non plane apparet, aut sane de ea constat, non tamen est, nec tanta censeari potest, vt plane sit locus omnino iuris vtriusque constitutionibus: nec fructuum perceptorum quantitas: nec impensarum ratio ita commode haberi potest propter controuersias, maximeque varias rectorum responsiones: tamen si admodū vigeat aliqua sterilitatis probatio: vidi inquam in hac specie per definitiuam sententiam remissionem fieri pensionis arbitrio iudicantiū pro ratione tertiae, vel quarta partis. His vero iudicis ipse sapissime subscripsi propter maximam huiusce defensionis aequitatem, & propter rationem earum constitutionum, & responsorum iuris communis, ex quibus in hac de sterilitate controuersia obtentū esse apparet, pensionis remissionem pro rata, vt aiunt, seu pro ratione sterilitatis faciendam fore. Nā & ea, quae superius scripsimus vers. alius placet, & vers. cul. ex qua iam probatur, huic opinioni suffragantur.

His autē omnibus multa sunt adicienda ex glossa & illic Doctoribus in dict. e. propter. item ex l. 2. tit. 8. part. 5. Bal. in dict. l. licet. qua. 9. Hippo. in sing. 85. & in singulari 134. Cozad. consil. 83. & Paul. Paris. consil. 40. l. 1. b. 1.

Hec plane obtinent in fundis conductis ab his, qui coloni dicuntur, atque ideo quaestio est, an inquilino alicuius domus, qui eam habitare propter pestem non potuit sit pensio remittenda? & legibus, earumque rationibus conuenit posse inquilinum propter pestem à domo locata diem, quo abierit argumento tex. in l. habitatores. §. iterum. ff. locat. l. 1. §. pensio. ff. de migrando. l. item queritur. §. exercitum. ff. locat. text. optimus in l. si fundus. ff. eodem. adnotarunt Calderin. in consil. 5. tit. de locato. Socin. consil. 44. lib. 1. Ioan. Baptist. de S. Severino in l. si in lege. §. si domus. ff. locat. post gloss. ubi idem Fulgosit. in l. cum in plures. ff. locat. in princip. Hippo. in singulari. 615. Francisc. à Ripa in tractat. de peste. 2. parte, nu. 18. Arnoldus Ferronus in consuetudin. Burdegalensibus, tit. 8. §. 3. quorum omnium opinio teste Ripa Communis est in huc sane sensum, vt ratione pestis sit inquilino remittenda pensio pro eo tempore quo non potuit causa pestis domū habitare. Hec etenim opinio manifeste deducitur ex his auctoritatibus quas hi auctores adduxerunt ad probationem huius assertionis. Idcirco sunt cautissime intelligenda multa, quae haec in quaestione solent tractari. Nam quod ratione pestis possit inquilinus omnino dimittere domum conductam, ita vt cessante peste non teneatur eam habitare, ac soluere pensionem eius temporis, quo potest eadem domo vti ad habitationem cessante peste, mihi falsum videtur: nec alicubi, quod sciam, probatur, tamen Panormit. in dicto. cap. propter. §. verum. Hippo. in dict. singulari. 615. & Ferronus in dicto. §. 3. hoc ipsum probare fuerunt conati, vt ipse Ferronus existimat, ad idem allegans Fulgosit. in dict. l. cum in plures. idem ipse Ripa tribuit Panormitano in dict. cap. propter. quia in re falluntur Ripa, & Ferronus. Nam Panormitanus nu. 8. nihil aliud scribit, quam quod inquilinus propter pestem possit dimittere domū. Quod & nos modo probauimus ex communi sententia, quam sequitur Rebuffus in auct. habitata. Case filius pro parte. priuileg. 11. non tamen ex hoc sequitur, velle Panormitanum quod cessante peste, & eius temporis causa remissa pensione, non teneatur inquilinus domū ulterius habitare nec stare contractui conductionis. Hoc etenim nec Panormitanus, nec Fulgositus, nec Hippolyt. tenuerunt. Quae ratio in hoc fallitur Ripa, quod hanc sententiam Panormitano adscripserit, etiam si ipse eandem opinionem quam nos probamus multis rationibus probet.

Imo excepta causa pestis non est par ratio, nec par est ius domini locantis, & inquilini conducentis. Siquidem dominus propter urgentem necessitatem, quae post contractum contigerit, potest inquilinum expellere, & domum sibi accipere, vt si vxorem ducat. Inquilinus vero etiam hoc casu tenebitur stare locationi, nec poterit domū dimittere absque solutione pensionis: quemadmodum tenent Barba. colu. 4. in dicto. ca. propter. Roma. consil. 431. Ripa in d. 2. part. 18. ex eo quod maius priuilegiū habeat ipse dominus domus locata, quam eius inquilinus: & ideo licet ob urgentem post contractum necessitatem possit dominus domum locatam ad habitationem propriam petere, & à contractu discedere: ipse tamen inquilinus, etiam si propter vxorem post conditionem ductam maiori domo indigeat, non ex hoc à contractu iure discedit: nec potest domo discedere absque solutione pensionis. Quam opinionem ego veriorē esse opinor, etiam si existimem Panormit. sequutus posse inquilinum domū conductam deferere absque solutione pensionis ex causa pestis, & ex alia quacunque simili: nempe propter bellum graue, & periculosum: atque hoc est, quod Panormita. ipse vere sensit dicto. cap. propter. nu. 8. & Fulgosit. in d. l. cum in plures. & Hippolyt. in d. singulari. 615.

His vero adiciam libentissime Panorm. in dict. nu. 8. assueuerat. fore difficilimum, eius opinionem quam de pensione remittenda tempore pestis adduximus: in practico forentium actionibus admitti. Cui conuenit quod Mattheus de Afflic. decisio. 268. scribit, ex consilio iurisprudens. Alfonso secundum Neapolis Regem contrarium decretum esse. Quod quidem decretum potius pertinet ad illius regni consuetudinem, quam ad iuris rigorem, vt ipse met. Matthe. sensum insinuat.